

PALAESTRA LATINA

SUMMARIUM

VOCABULUM «TECLA» UDENAM DUCAT
ORIGINEM, (E. Jové).

INMACULATAE DEIPARAE CONCEPTIONI.
(H. Martija),

CERVARIENSIS ACADEMIAE VIRI LITTERATI. —
Raimundus Lazarus de Dou, (J. Bonet).

CONLOQUIA LATINA. —Pocinumii incurso.
INTER SCHOLARES

NOVA ET VETERA, (I. González).

EPISTULARE COMMERCIIUM.

CURSUS GYMNASIICUS, (J. M.^a Mir).

DE INNOCENTIA, (C. Janicius).

PER ORBEM (R. Pastó).

BIBLIOGRAPHIA, (T. M.^a Planas, H. Martija).

M. VALERII MARTIALIS (J. Llobera)
in operculis.

EXERCITATIONES SCHOLARES in operculis.

COMPOSITIONES VERTENDAE, in operculis.

Ordinarii atque Superiorum permissu

M. Valerii Martialis

Oda L. I, 49

Hispane reddita. (1)

AD LICINIANUM

Praestabit illic ipsa figendas prope
Vobesca prandenti feras;
15 Aestus serenos aureo franges Tago
Obscurus umbris arborum.
Avidam rigens Dircenna placabit sitim,
Et Nemea, quae vincit nives.
20 At cum December canus et bruma impotens
Aquilone rauco muglet,
Aprica repetes Tarraconis litora
Tuamque Laletaniam.
Ibi inligatas mollibus damas plagis
Mactabis et vernas apros,
25 Leporemque forti callidum rumpes equo;
Cervos relinques villico.

De suyo alli Bubierca

Fácil manjar te prestará y sabroso
Con las fieras que tú herirás de cerca.
El calor estuoso
Templarás en el áureo Tajo puro
Entre las sombras de árboles oscuros.
Dircena helada fuentes
Y la que vence de la nieve el frío
Nemea calmarán tu sed ardiente,
Y cuando más bravío
En el Diciembre cano e inerte bruma
Ruja el ronco Aquilón con saña suma
Entonces quiero vayas
A tu querido suelo Laetano,
De Tarragona a las benignas playas.
Allí tú por tu mano
Tenderás blandas redes cauteloso
Y enlaxarás el gamo temeroso.
Al jabali nativo
Airoso acosarás dándole muerte,
Y caballero en alaxán altivo
Fatigarás con suerte
La astuta liebre de correr ligero;
Los ciervos dejarás para el granjero.

JOSEPHUS LLOBERA, S. J.

(sequar)

(1) Vide num. sup. in opercula.

14. Vobisca, Voberca cui rectius «Bubierca» respondet. — prandenti vulgo.

17. Dircenna Teuba.

18. Et Natha Teuba.

PALAESTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pesselarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Pretium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.



Vocabulum «tecla» undenam ducat originem

Novis rebus cum nova sint etiam fingenda vocabula, nos qui linguam Latinam contra obtrectatores vivere opere conmonstramus, ante hos tres annos «clavichordii» nomine appellavimus instrumentum musicum recens inventum, quod Italica lingua «pianum» apud varias gentes vocitatur. Recte fuisse rei adplicatum id nominis, non est consilium patefacere, sed lectoribus tantum ostendere invenisse me proprium vocabulum ad malleos illos «clavichordii» designandos quos «teclas» Iberi populi et Castellani et Catalauni et Lusitani sua lingua connominarunt.⁽¹⁾ Neque id satis, sed porro procedens etymon vocabuli «teclae» facilibus argumentis evincam. Viri philologis rebus addicti num fallar dijudicabunt.

Originem Latinam «teclae» vocabuli nemo est qui dubitet, dubium tamen remanebat hucusque, unde radix ejus esset repetenda. Credebatur a *tegula* procedere, amissa *u* atona et mutato sono medio gutturalis litterae *g* in sonum tenuem *c*. Quid autem habet commune *tegula* cum *tecla*?

Utro confiteor non minimam esse in his vocabulis litterarum similitudinem, quae tamen ex se non est argumentum originis alterius ab altero, nisi constet aliunde. Si ad significationem animum intendimus, *tegula* est a *tegendo* et *imbrices* indicat quibus domorum proteguntur fastigia ab aquis nivibus aliisque naturae tempestatibus. Nihil hujusmodi convenire videtur huic alteri rei quae *tecla* a nobis appellatur, nisi forte quaedam longinqua cum serie earum et *imbricato* (tejado) species, nullatenus sufficiens ut ex ea nomen obtineret.

Est et alia ratio minime contemnenda: facile explicaveris pluribus exemplis in linguis neolatinis mutationem *c* in *g*, ut ex saeculo

(1) Gallice *touche*, Italice *tasto*, Anglice *Key*, Germanice *Taste*.

segle Catalaunicum, ex periculo *peligro* Castellanum, sed non e contra. Unde etymon hujusmodi quod aliis visum semper est dubium,⁽¹⁾ a nobis falsum ducitur omnino atque rejiciendum. Aliud igitur etymon philologis exhibere audemus. De re illi judicaverint.

Quis neget organa satis esse vetera? Non desunt qui eorum initia repetant a Ctesybio Alexandrino qui fuit saec. secundo post Chr. natum. Ut spiramina tubulorum aperirent majores nostri et sonos traherent, digitorum ope tabellas etiam atque etiam tundebant quae ideo *tudiculae*⁽²⁾ nomine venerunt. Unde in organis tabellae digitales ex tunsione quam patiebantur *tudiculae* nomen obtinebant. Nunc in «clavichordiis» praeter illud officium passivum, quod satis fuit ut tale nomen hereditarent, est et officium activum tundendi, nam tabellae digitis percussae introrsum transferunt motum ut et ipsae chordas intimas percutientes varios atque suavissimos reddant sonos. Jam vero *tudiculas* diminutivum esse a *tude* vel *tudite* nemo mirabitur, illudque nomen a *tundo* quod prius fuerat *tudo*, sicut *pango* a *pago* et *frango* a *frago*.

Jam porro procedamus. *I* tonicam, quae est in *tudicula*, sono medio fuisse pronuntiatam inter *i* et *e* probat duplex scriptio aliorum similium vocabulorum. Sic a *vulpe* habemus *vulpeculam* et *vulpiculam*, a *plebe* *plebeculam* vel *plebiculam*, a *sede* *sedeculam* vel *sediculam*. Praeterea in his vocabulis *sedecula*, *vulpecula*, *plebecula*, *e* tonicum longum est et ideo conclusum (cerrada), cujus est proprium tendere in *i*. Unde quamvis scriptam nullibi inveniamus *tudeculam*, sed tantum *tudiculam*, certo deduci potest illud primum verbum in sermone populari fuisse. Habemus ergo *tudiculam* vel *tudeculam* et per syncopem *tudeclam*.

Quid distat tandem inter *tudeclam* et *teclam*? Id unum: ut amittatur *u*, quod cum sit breve et atonum nulli non videatur facile amittendum, maxime duabus consonantibus cum intersit ejusdem generis *t* et *d* dentalibus. Amissa autem *u* vocali et *d*, remanet *tecla*. Simile exemplum habes in *sella* ex *s(ed)ec(u)la* et *silla* castellane ex *s(ed)ic(u)la*.⁽³⁾

Conclusio. *Tecla* igitur non a *tegula*, sed a *tudecla* quod est a *tudecula* idem ac *tudicula*. Sicut autem a *plebe*, a *vulpe*, a *sede* sunt comparate *plebecula* vel *plebicula*, *vulpecula* uel *vulpicula*, *sedecula* vel *sedicula*, sic *tudicula* (vel *tudecula*) est a *tude* quae iterum procedit a *tundo* vel potius a vetere *tudo* cujus nativa significatio officio maxime congruit tam activo quam passivo tabellarum clavichordii quas *teclas* Iberi populi vocant.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

(1) *Waldo - Latein. etymol. Wörterbuch*, 1910. — (2) *España - Diccionario Enciclopédico* cf. *Piano*. — (3) *Commelerán - Discurso leído ante la Real Acad. Esp. el día 25 de Mayo de 1890* I - *Silla* no se formó de *sella(m)*, como opinan algunos, sino de *sed(t)ic(u)la(m)*, contracto *sedcla* y *secla*, en donde la *e* se atenuó en *i* y la *l* precedida de muda *d* en medio de dicción se convirtió en *ll*.

Inmaculatae Deiparae Conceptioni

HYMNUS

Canticis sacris hodie resultat
 Labe peccati reparatus orbis,
 Virginis primum celebrans serena
 Voce triumphum:

Arboris fructus, vetus unde Serpens
 Virus effudit, sibi noxiale,
 Clausit humano generi superna
 Limina caeli.

Frude sed victi miseretur almus
 Conditor rerum, voluitque salvum;
 Mox et offensi ruit in Draconem
 Numinis ira;

«Fraude vicisti, Satan, en Puella
 Cordium raptrix nova surget Heva
 Quae tuum dirum caput et superbum
 Calce refringet».

Inclitum salve decus Angelorum
 O potens Virgo, Satanae pavenda,
 Cujus ad nutum barathri fugatur
 Perfida turma.

Nunc novos hostes pede virginali
 Contere, antiqui subolem Draconis
 Quae tenet mundum, populosque late
 Ipsa tuere.

Da tuis Mater, pueris, rebellem
 Pura mens carnem premat et decora
 Germinet virtus animisque diva
 Munera caeli.

Sint tibi laudes, Trias increata
 Et Tibi Virgo sine labe, de qua
 Natus est Christus luiturus olim
 Crimina mundi.

H. MARTIJA, C. M. F.

Cervariensis Academiae viri litterati⁽¹⁾

Raimundus Lazarus de Dou



D. Raimundus Lazarus de Dou

Postremus Academiae Cervariensis
Cancellarius

Inter viros Academiae Cervariensis litteris praeclaros Raimundo Lazaro Dovio non idcirco primum tradidi locum quod splendidiore prae omnibus coruscasset lumine, sed quod mense Decembri vertentis anni centenarius illius obitus recurrit annus. Nonne par erat ut post hanc centuriam illius viri memoriam repeteremus, quo extincto quasi sunt in Academia Cervariensi cetera jam ulterius litterarum lumina? Prius ergo de eo quam de aliis sermonem instituere volui.

Sublatus igitur est e vivis Cancellarius, isque Academiae Cervariensis postremus, die 14 m. Decembris cum natus erat tres et nonaginta annos. Vitae limina subierat Barci-

none ex optimatum genere. Majorem natu habuit fratrem Ignatium qui etiam sidus in Academia enituit, quicum Cordelensi in conlegio humaniores litteras suscepit ediscendas in latere Finestresii paedagogi, quas litteras ita uterque sapere novit ut earum cultum in dies ad ultimum usque vitae magis perficeret. Adeo eorum mentes spiritu Finestresiano sunt imbutae ut Pater Franciscus Dorca S. I. non sine quadam poëtica amplificatione dixerit post funebrem orationem quam de Finestresio, omnium illius aetatis hominum apud Hispanos facile cultissimo, Dovius ad Senatum habuit:

*Plenius haud potuit laudari Academicus Heros,
At potuit certe pressius et melius:
Scilicet hoc majus breviusque domesticus olim
Quod Doctor Dovios finxerit ille duos
Vivet in his posthac quem sic expressit uterque
Ut Finestresium bis superesse putes.*

(1) Confr. num. sup. p. 17.

Litteris igitur lactatus humanarumque artium cultura perpolitus Raimundus Lazarus Dovijs adulescens Logicae, Physicae, Metaphysicae, Animasticae nec non Jurisprudentiae civilis theses publico commissas certamini semel et iterum ingenti auditorum plausu ab oppositis vindicavit. Dum adhuc in minoribus esset stipatus dotibus Licentiae gradum in jure canonico supremamque in civili, universo Academiae Senatu plaudente, jure merito obtinuit. Ejus tum peritiae tum ingenii pervulgata fama inter celeberrimos Academiae professores adscriptus juris utriusque cathedras summa cum laude est moderatus. Tandem primaria cathedra juris civilis regio diplomate est potitus, indeque lucerna accensa super cathedrae candelabrum posita, lucis radios tum inter discipulos tum inter professores copiose diffundens, adeo ejus fama longe lateque percrebuit ut inter illustriores litteraturae proceres communi calculo recenseretur.

Quod argumentum exornant egregia ingenii sui, quae publici juris facta nobis reliquit monumenta sincera Latinitate donata. Non enim sine jucunditate leguntur luculentissimae illius lectiones *De dominio maris*, *De tribuendo cultu Sanctorum Martyrum reliquiis*, *De filiis officialium militarium qui moriuntur in bello*. Perlustrantur item maxima cum animi voluptate ejus orationes ad Senatum habitae in aniversario tum Philippi V funere, tum Doctoris Josephi de Finestres. De orationibus gratulatoriis septem supra triginta quas in petitione doctorae habuit ad amplissimum Senatum, cum in Lyceo professoris munere fungeretur, hoc ait Rdu. P. Franciscus Xarrié O. P.: Stilus elegans, grata facundia, vox sonora, nitidus sermo, pura dictio, apta methodus, pulcra clara jucunda sententia. Quot quantisque praeconiis commendatum fuit opus illud, cui praefixus est titulus: *Inscriptiones Romanae in Catalaunia repertae post vulgatum syllogem Doctoris Josephi de Finestres*. Nihil dicam de opusculo ita inscripto: *Finestresius vindicatus adversus clarissimum virum Henricum Florezium*. Quid de altero etiam typis mandato super *Vera Vigilantii patria?* Quod Hispanico sermone composuit opus de jure Catalaunico cum Hispanico comparato, nunc debitis non extollimus laudibus.

Sic Vir ille egregius Raimundus Lazarus de Dou diebus et gloria refertus ante hos centum annos terram cum caelo commutavit. Ejus Latinitatem vere commendandam in ulterioribus fasciculis lectores nostri degustabunt.

JOSEPHUS BONET, C. M. F.

Conloquia Latina

Poscinumii incurisio

- JUANITOR — *I tu intro... Hic tecum eques paulisper loqui adpetit.*
- ERUS. — *Tui observantissimus.... Sede, amabo.*
- POSCINUMIUS. — *Benignissime; testimonium id est dilectionis...*
- E. — *Meus est mos.*
- P. — *Benigne, inquam; benigne centies miliesque. Tua venia frontem meam abstergam sudore.*
- E. — *Libere te absterges... Ut si esses apud tuos.*
- P. — *Apud meos...! Verbum id magicum, quod recordationes adfert innumeras, easque teneras... Focus! Ecquid foco nobilius?*
- E. — *Omnino nihil, Domine.*
- P. — *Atquid hanc rem tam nobilem tamque suavem, eques, ego perdiidi...! Mihi levamine opus est, quod tu nempe habes.*
- E. — *Egone?*
- P. — *Tu; tu qui hoc ipso tempore quo meae menti dominatur cibi cupiditas, pater meus es putativus.*
- E. — *E contignatione deviasti, eques.*
- P. — *Non ita, adulescens. Hic sum ubi et necessitas et decus me adduxerunt. Solum dedecus aut magistratus a tuae actuariae me divellent brachiis.*
- E. — *Numquid poeta?*
- P. — *Humilis modicus rapax fortasse, attamen poeta. Aestrum dicor habere, inque versibus gladium utraque parte acutum.*
- E. — *Tu Silvela es in carmine.*
- P. — *In arto meo numine omnipotens iudicor et rivulum cano qui serpit et celerrim alaudam quae expandit alas, et caelum stellis coruscantem et... O tristem vitam, eques!*

El atraco de un sablista

- PORTERO. — *Pase V... Este señor desea hablar con V. unos minutos.*
- DUÑO. — *Muy señor mío... Hágame el favor de sentarse.*
- SABLISTA. — *Muchas gracias, caballero. Es una prueba de distinción...*
- D. — *Es costumbre mía.*
- S. — *¡Gracias! ¡Un millón de gracias! Con su permiso de V. voy a limpiarme el sudor de mi frente.*
- D. — *Es V. muy dueño de limpiarse como quiera, como si estuviese en su casa.*
- S. — *¡Mi casal Palabra mágica que evoca una oleada de recuerdos tiernos... ¡El hogar! ¿Hay cosa más grande que el hogar?*
- D. — *No, señor.*
- S. — *Pues eso que es tan grande, que es tan dulce, lo he perdido yo, caballero. Necesito un lenitivo y V. lo tiene en la mano.*
- D. — *¿Yo?*
- S. — *V.; V. que en estos momentos en que la pasión por el cocido domina mi inteligencia viene a ser mi padre putativo.*
- D. — *Caballero, V. se ha equivocado de piso.*
- S. — *No, joven, no. Estoy donde la necesidad y el honor me han traído. Sólo el deshonor o... el ordenanza podrán arrancarme de los brazos amorosos de su redacción.*
- D. — *Poeta, ¿pues?*
- S. — *Humilde, modesto, quizá rípioso, pero poeta. Dicen que tengo imaginación, que en mis versos tengo un arma de dos filos.*
- D. — *Es V. un Silvela de la poesía.*
- S. — *Me juzgo omnipotente en mis estrecheces de numen, y canto al arroyuelo que serpentea, y a la alondra fugaz que tiende el vuelo, y al cielo tachonado de estrellas... ¡Qué triste es la vida, caballero!*

E.—*Quid narras?*

P.—*Tristissimam vitam dico. Tres abhinc dies non edo: sed id tua non interest. Numquid fumigerum porrigis?*

E.—*En tibi.*

P.—*Vitam, rem hercle tristem! In carmine rationem inveni non adsciscendi mihi mortem... Quattuor abhinc dies non edo; attamen hoc nihil tua interest. Si ne duas me lacrimas, duas inquam dumtaxat effundere, ne amaritudine te afficiam, animam generosam. Tres abhinc dies buccellam nullam sumo sed id negotiū tua non interest...*

E.—*Si verum dicam pecuniam non habeo solutam.*

P.—*Idem mihi erit si in schedinumiis dederis, generosa anima. Soneta hodie probitatem tuam praedicabit. Vale multum!*

D.—*Qué me dice V?*

S.—*¡Oh, tristísima! Seis días ha que no como; pero eso a V. no le importa. ¿Me hace V. el favor de un pitillo?*

M.—*Tome V.*

S.—*¡Triste realidad de la vida! En la poesía encontré un modo de no romper mis relaciones diplomáticas con la existencia. ¡Cuatro días ha que no como; pero esto a V. no le interesa! Permítame V. que arroje dos lágrimas, dos solamente, para no amargar las generosidades su alma noble.. Tres días hace que no pruebo bocado; esto no es cuestión que a V. le interese...*

D.—*Pues si he de decirle la verdad, no tengo suelto.*

S.—*Me da lo mismo en billetes, ¡oh alma generosa! Esta noche un soneto cantará tus bondades. ¡Que vaya bien y adiós!*

Inter Scholares

—*Quandonam latine scribuntur litterae majusculae?*

—*Initio cujuslibet propositionis.*

—*Certe id fit etiam apud nos. Dic mihi quidquam in lingua Latina singulare.*

—*Singulare est quod praeter nomina propria cum majuscula scribere cogunt*

grammatici recentes clariores omnia adjectiva ab eis derivata.

—*Quid de adverbis?*


—*Non desunt qui etiam cum majuscula adverbia scribi velint ab nominibus propriis derivata, quod plerique negant, neque sequuntur.*

NOVA ET VETERA

Alumnorum oculis praesenti oposita pictura, iidem facili negotio nonnullorum nominum in memoriam venient, saltem vernaculorum. Commode autem orbis terrarum animalia, neque rem hic agimus cum zoologis, in quattuor veluti genera magna dispesci valent; in domestica nempe, qualia sunt bos, canis, equus, felis; in silvestria, uti, barrus, leo, lupus, vulpes; in volatilia, uti accipiter, aquila passer, vultur; in aquatica tandem, ut anguilla, cete, salmo, tructa.

I. — Domesticae nonnullae bestiae atque silvaticae in tabella hodierna depicta adparent, quibus pro numerorum ordine sunt nomina quae sequuntur.

1 <i>Camelus</i>	12 <i>rinoceros</i>
2 <i>feles</i>	13 <i>cancer</i>
3 <i>asinus</i>	14 <i>vertagus</i>
4 <i>leo</i>	15 <i>testudo</i>
5 <i>bos</i>	16 <i>cuniculi</i>
6 <i>barrus</i>	17 <i>agnus</i>
7 <i>canis</i>	18 <i>sorex</i>
8 <i>sus</i>	19 <i>cochlea</i>
9 <i>equus</i>	20 <i>climax</i>
10 <i>cervus</i>	21 <i>gallus</i>
11 <i>vervex</i>	22 <i>rana</i>



II. — Haud pauca certo certius in animalium indole atque natura considerare est, eaque cum animo scientiarum cupido, tum mente curiosa.

Verum istis in commentarii plagulis praecipuas hodie animalium voces compilabimus, Latina quidem expressas lingua. Praesertim in sermone presso, animum advertas velim, eas aliquando voces in usu susque deque venire, neque in lexicis eadem usque ratione verti, id quod haerere aquam adigat tironibus necesse est. Sequentes tibi exempli gratia propono:

Apes	<i>bombitat</i>	cicada	<i>trinitit</i>	equus	<i>hinnit</i>
aquila	<i>clangit</i>	columba	<i>plausitat</i>	felis	<i>maumat</i>
asinus	<i>rudit</i>	cornix	<i>crocitat</i>	gallina	<i>gracillat</i>
bos	<i>boat</i>	corvus	<i>crocitat</i>	gallus	<i>cuculat</i>
canis	<i>latrat</i>	cygnus	<i>drensat</i>	graculus	<i>frigulat</i>
capra	<i>musit</i>	elephantus	<i>barrit</i>	hirundo	<i>trinsat</i>

hircus	mutit	noctua	cucubat	taurus	mugit
leo	rugit	ovis	balat	turdus	trutilat
lupus	ululat	perdix	cacabat	ulula	ululat
mus	mintrit	rana	coaxat	vulpes	ganit
musca	bombit	simia	stridet	vultur	pulpat
mustela	dintrit	sus	grugnit		

III. — Nullatenus tandem Lati-



nae linguae adagia seu apotegmata desunt, quae a natura, indole, animalium moribus sumant originem. Neque id quidem raro fit. Et enim scientia naturae rerum cum scientia populi convenit vehementer, adagiorum copiam et vim arbitrio suo exprimentis. Aliqua hoc loco obferam. Eis autem in selligendis, quod supra innui animalium vocum, vocabularium habui normam:

Neque mel neque apes: In eos dicitur, qui recusant incommodum, quod sit cum commodo conjunctum, ferre.

Aquilam volare doces: In eos qui aliquid monent in ea re, in qua is exercitissimus est.

Asinus ad lyram: De eo, qui nullo est iudicio, dices.

Ex ipso bove lora sumere: De eo, qui, quo laedat quempiam, id ab ipso accipit, quem ledit.

Canis vindictam: In illos, qui praeter expectationem iis poenas dant, quos aliquando laeserunt.

Capro gladium (reperit): De iis, qui, quo pereant, reperiunt.

Cicadae vespa obstrepens: In eum, qui certat longe impar cum superiore.

Columba sedens: De supra modum mansuetis dicitur.

Cornix scorpium (rapuit): In eos, qui illos laedere parant, unde tantundem mali sint accepturi.

Corvum delusit hiantem: De eo, qui captorem suum est arte frustratus.

Tunc canent cygni, cum tacebunt graculi: Tunc eruditi loquentur, cum garrulis erit nullus loquendi locus.

Elephantum ex musca facis: Res exiguas attollis verbis atque amplificas.

Equus me portat, alit rex: Bene ille vivit, qui et alienis pedibus ingreditur pascurque pecunia aliena.

Felem Minervae (comparas): Multo inferiore cum praestantiore comparas.

Gallinaceum lac: De inventis raris ideoque pretiosis.

In morem galli cujuspiam trepidat: In male affectum et commotum aut etiam pavitantem dices.

Graculo nihil cum fidibus: Nihil stolidis cum bonis litteris.

Hirundo una non facit ver: Unus dies sat ad parandam virtutem aut eruditionem non est.

Hircum mulgere: Terere tempus.

Leonem estimulas: In eum, qui potentem suum in ipsius exitium provocat.

Lupi alas quaeris: De iis, qui ea quaerunt, quae nusquam sunt.

Mus picem gustans: In eos, qui antea audaculi, degustato periculo, plane timidi videntur.

Vel muscas vetuit praetervolitantes: Qui frivola metuit quacumque de causa.

Mustelas habes: In eum, cui omnia sunt inauspicata.

Noctuae aquilam comparas: Idem fere valet ac: *Vespa cicadae obstrepens.*

Tamquam ovis miridians: De summo dicitur otio.

Perdicis crura: In crura gracilia distortaque venit.

Ranae aquam (ministras): Ubi quid exhibetur, quo vel praecipue gaudet is, qui accipit.

Simia non capitur laqueo: In calidum tergiversatorem, qui minus coargui valet.

I. GONZÁLEZ. C. M. F.

Epistularum Commertium

Emmanuel Jové, C. M. F.

Andrae Avenario S. V. D. suavissimo amico s. p. d.

Nescio an de neglectis jamdudum debitis tibi litteris magis ipse sim reprehendendus quam tu mihi. Veras et nimis veras tu excusationes adfers: et inopiam temporis et defectum valetudinis quae quidem postrema magis me sollicitat. Ego autem saepe cum animo meo reputavi Deum velle de me poenas omnes in purgatorio sumere, quando in hac vita tam blande mecum agit, qui nullas ferre experior res adversas praeter eas quibus est obnoxium hominum omnigenus.

Utinam te confirmes et juvenescas! Etenim animatverit in photographia quam anno superiore misisti, quamque hodie tibi libenter alia mea gratiflor, caput tuum albicare canis quos non ex multiplicatis annis adparuisse credo, sed potius ex varicum molestiis aliisque valetudinis tuae incommodis. O execrandum bellum quod amicum cibis pavit suppositicilis. Nos tantam calamitatem eo tempore non subimus, sed nunc aliam patimur *aprorum nempe Incur-sionem* qui cornibus suis omnia impetunt sive divina sive humana jura. Nostisne eos? Ex latebris sectae massonicae in gubernium ascenderunt atque inde perdere nos volant, qui vestigia Christi sectantur. Deo miserante et gressus eorum praepediente nec medium iter fecerunt quod adfectabant. Etiam ad hoc tuas preces efflagito ut hostium nostrorum superbia conteratur et nobis pax religiosa quoquo modo restituatur.

Non tantum de epistula sed de lucubratione super Santolio et de carmine tuo gratias tibi quamplurimas ago: ea omnia suo tempore PALAESTRAE LATINAE inseram. Ne cesses quas de Santolio cogitaveras lucubrationes perficere; erunt mihi acceptissimae et probatissimae. Tu vero ignosce si hujus rei te prius certiore non feci, quaesivi enim Santolium neque uspiam inventi.

Jam quod promiseram de *essedo* tibi scribere, tandem sum exsecutus, legesque epistulam alteram publicam in «Alma Roma».

Tibi semper obsequentissimus et frater in Corde Mariae. Vale.

CURSUS GYMNASTICUS

M. Cicero ⁽¹⁾ *Imp. S. D.* ⁽²⁾ *M. Caelio* ⁽³⁾ *Aedili Curuli*

Scripta Laodiceae m. Febr. anno 50 a. Chr. natum (Ad fam. II, 14)

M. Fadio, ⁽⁴⁾ *viro* ⁽⁵⁾ *optimo et* ⁽⁶⁾ *homine doctissimo, familiarissime utor* ⁽⁷⁾ *mirificeque* ⁽⁸⁾ *eum* ⁽⁹⁾ *diligo cum propter summum ingenium ejus* ⁽¹²⁾ *summamque doctrinam tum* ⁽¹⁰⁾ *propter* ⁽¹¹⁾ *singularem modestiam. Ejus negotium sic velim suscipias,* ⁽¹³⁾ *ut si esset res mea. Novi* ⁽¹⁴⁾ *ego vos magnos patronos;* ⁽¹⁵⁾ *hominem occidat oportet,* ⁽¹⁶⁾ *qui vestra opera uti velit. Sed in hoc homine nullam accipio excusationem. Omnia relinques,* ⁽¹⁷⁾ *si me amabis,* ⁽¹⁸⁾ *cum tua opera Fadius uti volet.*

Ego res Romanas ⁽¹⁹⁾ *vehementer expecto et desidero* ⁽²⁰⁾ *in primisque, quid agas,* ⁽²¹⁾ *scire cupio; nam jam diu propter hiemis magnitudinem nihil ad nos novi* ⁽²²⁾ *adferabatur.* ⁽²³⁾

ADNOTATIONES

1) *M. Cicero*: Romani hominis liberi et ingenui erat *praenomen* habere, quo in eadem familia unus ab alio distinguebatur, sic Marcus a Quinto fratre: quod tamen *praenomen* nota seu compendio (abreviatura) fere solummodo scribebatur; *nomen* quo gens a gente (Tullius e gente Tullia), et *cognomen* quo familia a familia discernabatur (Cicero); quibus alique et *agnomen* adsciebant sive ex facinore, ut P. Cornelius Scipio, Carthagine devicta, *Africanus* audit; sive ex adoptione, ut P. Cornelius Scipio *Aemilianus*. Servis vero unum tantum nomen erat, ut Tiro.

2) *S. D.*: *Salutem dicit*, non salutem dat, ut aliqui commenti sunt; semel tamen invenitur apud Liv. 3, 26: Salute data in vicem redditaque. Alia plura huic voci «salus» junguntur verba: Cf. Salutem reddere (Liv. 7, 5; 3, 26); referre (Cic. Ad Att. 16, 4); impertiri (Ib. 2, 12). Saepe et verbum omittitur: «Cicero Attico sal.»

3) *M. Caelio*: M. Caelius Rufus familiaris fuit Tullii, ab eoque vehementissime, in oratione quam habemus, defensus. — Verba dandi, reddendi, commit-

tendi et alia hujusmodi, quae commodum aut incommodum significant, praeter accusativum, dativum commodi vel incommodi suscipiunt.

4) *M. Fadio*: Vir fuit doctissimus, amicus Ciceronis et Attici. — Regitur a verbo *utor*, quod ablativum postulat, quia nationem involvit instrumenti.

5) *Viro optimo*: Adjectiva vix nominibus propriis immediate junguntur, sed aliqua addi solent appellativa, ut *vir, urbs...*: «C. Marcellus, *vir optimus* et memorabili pietate praeditus». (Cic. Pro Marc. 4, 30). *Vir* ad laudem vel virtutem significandam adhibetur, non tamen vituperationem; *homo* ad utrumque.

6) *Et*: Ea conjungere solet membra quae natura sua nexu carent arctiore. — Usurpatur ad graviter adfirmandum: «*Et sunt illa sapientis*». (Tusc. 3, 8, 18). Aequivalet Hispano nostro *y también*: «Haec ipsa mihi sunt voluptati; *et erant illa Torquatis*». (De fin. 1, 7, 25). Ad clarius et vividius designandam rem vel personam jungitur demonstrativis: *et is, atque is, et is quidem, et idem, idemque*; si negatio adsit *nec is*: «Habet (animus) primum memoriam, *et eam infinitam rerum in-*

numerabilium». (Tusc. 1, 24, 57). «Quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt *easdemque* non necessarias». (De off. 1, 6, 19).

7) *Familiarissime utor*: Frequentissime hanc locutionem apud Tullium inveniunt, quae idem significat atque cum aliquo consuetudinem habere.

8) *Mirificeque*: Quae enclitica est et ea conjungere solet quae maximam unionem habent; sine discrimine tamen pluriens usurpatur *et, que*. Infrequenter subsequitur verbis in ξ correpto finitis, licet aliqua reperias exempla: Ipseque (Phil., 14, 26); Majoreque (Ib., 13, 46). *Mirifice* habet exitum protractum sicut et omnia abverbia ex adjectivis primae declinationis deprompta.

9) *Eum*: Omitti nequit propter diversam rectionem verborum *utor et diligo*, maxime ob claritatem.

10) *Cum... tum*: His particulis ea jungi solent membra quorum alterum eminent priori; et recte generatim vertes *no sólo, sino también*.

11) *Propter*: Causam notat; non raro loco hujus praepositionis classici ablativum usurpant ad causam designandam; «Si fructibus et emolumentis et utilitatibus amicitias colemus...» (Cic. De fin. 2, 26, 83).

12) *Ejus*: Quia ad personam refertur, in oratione simplici, quae non est subjectum grammaticale; «Semper amavi... M. Brutum propter *ejus* summum ingenium». (Cic. Ad fam. 9, 14, 5).

13) *Velim suscipias*: Verba quae manifestissimam voluntatem significant, frequentius subjunctivo junguntur *sine* particula *ut* (praesertim volo, nolo, malo, sino), quam tamen aliquando accipiunt: «Volo *uti* mihi respondeas», (Cic. Vatin. 7, 17). «Verba quae animi decretum sive statuere significant, item verba voluntatis, optandi et alia etiam inveniuntur cum sim-

plici infinitivo, si subjectum est idem, et cum accusat. et infinit., si subjectum est diversum». (1) — *Velim* dicitur de optato quod quis explere potest; *vellem* de voto cui satis fieri nequit.

14) *Novi*: *Noscere* significat rem aliquam inquirere, notitiam alicujus rei sibi comparare; *novi* vero, quod saepe apud probatos auctores pro praesenti adhibetur, est idem ac scio, cognitum habeo, in notitiam alicujus rei penitus veni. — Notanda: *Nosse de facie*, conocer de vista. (Cic. Pis. 32, 81). *Cetera nosti*, formula qua aliquid notum reticemus.

15) *Vos magnos patronos*: Accusativo complementi directi adjungitur accusativus attributivus post verba hanc notionem reddentia: tribuere alicui per actionem, sermonem, cogitationem, hanc vel illam qualitatem; *facere* aliquem divitem; *appellare* aliquem regem (2). — His verbis accedit *novi, cognovi*...

16) *Oportet*: Constructur cum subjunctivo sine particula *ut*; invenitur etiam, sicut et alia impersonalia quae facilitatem, necessitatem, opportunitatem notant ut actio fiat, cum infinitivo, et accusativo si opus est. At cum subjectum actionis non significatur, oratio solum in infinitivo passivo venit: «Hoc fieri et oportet et opus est». (Cic. Ad Att. 13, 24).

17) *Relinques*: Futurum simplex seu imperfectum actionem futuram significat sive statum; nos saepe futurum Latinum reddere solemus pro praesenti subjunctivo, ut in exemplo: «*Déjalo* todo, si me amas, cuando Fadio *necesite* de tu apoyo». Cf. «Beati erimus cum, corporibus relictis, et cupiditatum et aemulationum *erimus* expertes». (Cic. Tusc. 1, 19, 44). «Seremos felices cuando, desatados de los cuerpos, nos *veamos* libres de nuestras codicias y ambiciones».

18) *Si me amabis*: *Amabo te* vel simpliciter *amabo*, ab obsecrandum et peten-

(1) Llobera, Grammatica Clas. Latinitatis, 332-3. — (2) Cf. Riemann, Syntaxe latine, 33.

dum saepissime usurpatur. «Cura, amabo te, Ciceronem nostrum». (Cic. Ad Att. 2, 2, 1). Inveniuntur etiam formulae: *si me amas, si quidquam me amas*, quae quidem obsecrantis obtestantisque sunt.

19) *Res Romanas*: Non incongruum nobis videtur notandum interesse discrimen inter abjectiva *Romanus* et *Latinus*. *Las letras romanas* apud auctores aureae aetatis vocantur *Romanorum litterae, litterae Latinae* non vero *litterae Romanae*: «*Damnum enim illius inmaturo interitu res Romanae Latinaeque litterae fecerunt*». (Cic. Brut. 33, 125); *res Romanae*—la república de Roma, *litterae Latinae*—cultura romana. Apud posteriores tamen scriptores inventies: *Litterae Romanae* (Quintil. 10, 1, 123); *lingua Romana* (Tac. Agric. 21). Cf. *Sermo Atticus* non vero *Atheniensis*.

20) *Expecto et desidero*: In Latino sermone saepius duo vel plura inveniuntur verba eandem fere notionem reddentia, pro uno verbo atque adverbio: *Expecto et desidero: espero con grandes ansias; divellere ac distrahere*. (Cic. Planc., 42, 102), *separar violentamente*. Haec figura *hendiadys* vocatur. V. Pal. Lat. ann. 1932, m. Jan.

21) *Quid agas*: Interrogatio indirecta seu obliqua quae subiectivum expostulat; apud nos *lo que haces*.

22) *Nihil novi*: Substantiva quae aliquam notionem quantitatis reddunt item adjectiva et pronomina neutrius generis in nominativo vel accusativo posita, sicut et abverbia *eo, quo, satis, parum, nimis...*, genitivum postulant. «*Tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur*». (Cic. De senect. 11, 36).

23) *Adferebatur*: Illud quidem notandum est in sermone epistulari: saepius cum quis epistulam accipit, plura facta, quae scribenti praesentia erant, transacta deveniunt legenti. Qua moti ratione Romani saepius praeteritum usurpant ubi sensus praesens tempus postulet. «*Jam diu propter hiemis magnitudinem nihil ad nos novi adferebatur*». «*Hace tiempo que por la crudeza del invierno no nos llega noticia alguna*». Praeteritum adhibet pro praesenti, quia, accepta a M. Caelio epistula, causa (hiemis magnitudo) probabiliter jam transisset. Cf. «*Nihil habebam quod scriberem*». (Cic. Ad Att. 9, 10, 1). «*Nunc eram plane in medio mari*». (Cic. Ibid. 5, 12, 3) (1). Haec praeterita vocantur epistularia.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

DE INNOCENTIA

*Insontes saepe insimulat vis falsa malorum
tentat et innocuum frangere posse caput,
dumque suo scelere exsultat, cadit ipsa peritque;
vindicat innocuos clarificatque Deus.
Testis erit Daniel projectus in antra leonum,
testis erit falsos ulta Susanna viros.
Fidite virtuti, numquam quae mergitur imo
gurgite, jactetur naufraga saepe licet.*

CLEMENS JANICIUS

1) Cf. Riemann, Synt. Lat., § 148.

Per orbem

Chronologia Vergilliana. L. Hermann inquisitionem circa facta aliqua vitae Vergilii in «Revue des Etudes Latines» (fasc. II, 1931; pp. 269-290.) instaurat. Praecipuas tantum conclusiones, quas auctor ipse deducit, huc transferimus.

1) Vergilius mortuus est Tarenti ob insolationem quam Metaponti habuit; minime vero Brindissii ob insolationem Megarae.

2) Iter versus Graeciam, autumnus anni 38 ponendum esse videtur.

3) Satyra de itinere Brindissii etiam eodem autumnus composita.

4) Idem dicendum de ode in navem Vergilii.

5) Vergilius comitatus est Maecenatem in legatione Octavii ad Marcum Antonium.

6) Post legationem Tarenti hie-mavit anno 38, et vere 37 conloquio Octavium inter et Antonium adstitit.

7) Tum Meliboeum Catonem in-visit.

9) Satyra VI libri II mense Octo-bri anni 31 composita.

Saxia. Ad nos pervenit versio Cata-launica hujus poematis a R. P. D. Arrufat O. S. B. in Monasterio Mont-serratensi confecta. Hac impulsu oportunitate gratum nobis est quam maxime, mentionem facere de hujus poematis R. P. D. Brenach auctore parum noto, mentione tamen dignis-simo, qui non modo poema «Saxia»; sed et «Apollum Delphicum» et «Epi-thalamium Salomonis» in lucem edidit; summam 11.182 versuum conti-nent qui et Ovidiano sapore et numeri perfectione et classica Latinitate elu-cent. Hic et R. P. D. Gonzalo de Sojo,

qui «Dialogos de omnibus Grammati-cae praeceptis» edidit, antesignani sunt cultus classici in cenobio Mont-serratensi.

Ex Seminario Manizalensi. Ci-prianus Díaz Seminarii Manizalensis alumnus litteras perquam jucundas nobis misit, ex quibus haec quae sequuntur excerptare juvat: «Non tantum ex Ecclesiae voluntate, sed praeser-tim ex Rmi. Ordinarii nostri, Superio-rumque Seminarii amore et diligentia linguam Latinorum praestantissimum, uti debetur, locum obtinet... Nullis ex-clusis, omnes, quod mirum est, etiam qui Presbiteratum suscepturi, ex more, Latinitatis periculum coram examinadoribus Synodalibus, quan-doque PALAESTRA comitante, subire coguntur. Quae praxis ad amorem et fervens studium hujusmodi linguae acquirendum permaxime juvat».

Studia classica in Holandia, Circa studia classica in Holandia re-lationem adfert «Bulletin de l'Asso-ciation G. Budé», ex qua sequentia nuntia sumpsimus. In Gymnasio in studiis classicis 6 anni impenduntur; 4 aut 5 anni in Lyceo.

Quod ad horas in hebdomada im-pendendas, in Gymnasio duae distin-guendae sunt sectiones: *Sectio A:* 12 horae hebdomadariae; *Sectio B:* 9. In Lyceo plus minus eadem viget dis-positio.—Primo loco legitur Caesar *De bello Gallico*; postea Cicero, Sal-lustius. Quod ad poemata initio Ovidii *Methamorphoses* et *Elegiae* leguntur. Cursus superiores legunt praecipue Titum Livium, Tacitum, Ciceronem (scripta philosophica), Senecam, Pli-nium Juniolem; identidem S. Augus-

finum, scriptores Medii Aevi et Erasmus. Vergilius et Horatius praecipuas cursum superiorum delicias constituent.

Quod ad linguam Graecam speciatim spectat, sane gloriari Holandii sibi possunt: nulla enim in natione ei aequalis tribuitur cultus, uti videre in programmatibus officialibus omnibus licet.

Praeterea 20 ultimis annis a 1909 sc. ad 1929 numerus alumnorum miram fecit incrementa; nam anno 1909 incolarum numerus circiter erat 5,900.000; anno 1929 vero 7.830.000. Alumnorum anno 1909 erat numerus 3.280 in 40 Gymnasiis distributorum; anno autem 1929 Gymnasia 88 erant, alumni vero 10.555.

R. PASTÓ, C. M. F.

Bibliographia

Josep Finestres. — *Estudis biogràfics.*

Vol. VII de la Biblioteca Històrica de la Biblioteca Balmes. Pag. 564, in quarto majore, Editorial Balmes. Barcinone, 1932.

Nuper in lucem prodiit e celebri multis abhinc annos Bibliotheca Balmesiana Barcinonensi mirum illud opus, cujus compilator et auctor P. Ignatius Casanovas, S. J. Is studii Balmesianis aliunde notissimus scriptor, ubi Cervariam se contulit de re Balmesiana investigationem peracturus, Finestresii gloria obfusos, eam se studio atque diligentias, suscitare statuit et nunc volumen hoc in manus tradit eruditorum quod ad sueto palato abs dubio degustabunt. «Opus vere singulare, rerum archivum, inexhausta notitiarum fodina, quo in tractatu quid potius mirere haud facile dicas, an perceptionis subtilitatem, an amplitudinem cognitionum, an judiciorum aequitatem, an perspicuam exponendi claritatem, an conclusionum logicen minime diruendam». Sic cl. scriptor Ferd. Razquin. Josephus Finestres et de Monsalvo egregius jurisconsultus domo Cerva-

riensis, patria vero Barcinonensis ab ann. 1688 ad 1777 fuit. In illis Academiae Cervariensis (1717) adstitit, cuius ita gloriis interfuit et fortunae tum pondere doctrinae et ornamento litterarum, tum plenitudine, ut ita dicam, humanae dignitatis, ut quasi sol in ea ordinem, lucem, vitam aliis tribueret, nomenque insuper et praestantiam suis meritis ubique profunderet: quibus effectum est ut Cervariensis Academiae splendor in unum Finestresium convenire diceretur.

Haud multis operibus elegantissimus scriptor stipatur, qui potius hominibus erudiendis quam libris exscribendis videretur esse natus: qua in re adeo excellit ut clarissimus Mayans et Siscar scripserit «praeceptorem qualem eum in tota Europa minime invenisse nec facile fore ut unquam inveniretur».

Haec quidem in hoc vere laudando opere inveniet lector quorum multa nunc primum investigatione exagitantur. Hoc volumen excellens 564 p. comprehendens *Estudi preliminar* vel conlationum seriem quas P. Casanovas a. 1924 Barcinone in Bibl. Balmes habuit; *Elogi funeral* a Latino in Ca-

talaunicum versum elogium funebre in exequiis Finestresli prolatum ab eximio viro Raimundo Lazaro de Dou ét de Bassols, *Vida i escrits*, quae latine scripserat cl. polygraphus Gallisà, S. J. *Documents* varia demum documenta historica. Opus est, his omnibus jure consulendum qui cultus Catalaunici in s. XVIII historiam noscere percipient. Historiam Borbonicae Universitatis non dices, saltem externam; haud inmerito tamen, quod intrinseca ejus constitutio doctrinaeque quibus excelluit simul atque influxus externus manu magistra depingantur, historiam internam appellaveris.

Thomas M.^a PLANAS, C. M. F.

José Llobera, S. J.—*Obras poéticas de Fray Luis de León*. Edición y notas del P. José Llobera.—Volumen I.—Poesías originales, p. 453. 1932.

R. P. Josephus Llobera quem auctorem Grammaticae classicae Latinitatis et inlustrem PALAESTRAE LATINAE conlaboratorem optime norunt lectores, editis Magistri Legionensis carminibus, in campo bonarum litterarum novam sibi gloriam comparavit. Jam pridem in ephemeride «*Religión y Cultura*» (Jun. 1928-Dec. 1929) articulo seriem conscripserat cui titulus *Propecto de una edición de las poesías de Fray Luis de León*, quod studium laurea donatum fuerat in certamine in Universitate Salmanticensi ad tanti poëtae IV centenarium commemorandum, et operis nunc in lucem

editi fundamentum existit. Hoc egregio opere sibi gratulantur Hispanae litterae, et quicumque magni faciunt, ut par est, criticam textuum sapientem et eruditam.

Fr. Petrus M. Vélez O. S. A. de praelaudato *Proyecto* haec habet: «*Aunque el certamen internacional promovido por la Orden Agustiniiana y la Universidad Salmantina para festejar en 1928 el 4.º centenario del nacimiento de Fray Luis que los llenó de gloria, no hubiese producido otro fruto que el Proyecto de una edición.. por el P. José Llobera, él sólo bastaría para justificarle y enaltecerle.*» P. Llobera poëseos Magistri Legionensis quam qui maxime studiosus, paucis sed praecipuis poëtae editionibus adhibitis, veram textus lectionem semper nobis praebuit, ut posterior Codicum perlustratio nonnisi ad eam sustinendam confirmandamque inservierit. Singulis carminibus breve studium sive argumentum praeponitur; textum comitantur diversorum codicum variationes, et adnotationes quibus perfecta in humanioribus litteris eruditio editoris patet. Volumen totum perlegimus, et, numquam ut nunc, fatemur, suavitatem nostri lyrici poëseos degustavimus. Amicissimo Patri Llobera ex imo corde grates referimus, maximo habentes in honore quod tantus vir tamque bene de litteris meritus in sociis et conlaboratoribus nostri Commentarii adnumeretur.

H. MARTIJA, C. M. F.

Exercitationes Scholares

Nasica et Ennius

(Ann. III, n. 19)

Nasica Ennium vatem (1) visit. Dum (2) rogat de illo, ancilla dixit eum domi non esse. Nasica sensit id jussu eri dixisse, re tamen vera intus esse. Ille revocavit gradum, neque institit; sed paucis post diebus venit Ennius ad Nasicam, quem (3) arcessivit. Tunc intus clamat Nasica: Domi non sum.—Ennius ei: Quid? nonne vocem tuam audio? Vere cognita mihi (4) est melius quam alia. Respondit Nasica: Nae tu (5) homo impudens es; nuper cum te quaerebam (6) ancillae tuae credidi te domi non esse ajeti; tu vero mihi ipsi non credis?

EDELMIRUS MERINO

Guarnicae in Vasconia

Notulae

(1) Nomen appellativum semper post nomen proprium. (2) *Dum* fere semper in indicativo, idque praesenti (3) *Quem pro et... eum*. (4) *Mihi non a me: cognitus* sumatur ut adjectivus. (5) *Nae tu...* Verdaderamente que tú: hoc abverbium adfirmationis est usitatissimum conjunctum cum nominibus et pronomibus. (6) In indicativo, quia est propositio temporalis realis.

La serpiente y el elefante

(Ann. III, n. 19, in operculis pag. 4)

Perece con frecuencia el malvado víctima de sus maldades. (1)

Ocurrió en la India que una serpiente grande y larguísima decía, alabándose, a las serpientes pequeñas, que ella podía acarrear la muerte al mismo ele-

fante aunque tan fiero animal. Dicho esto acomete audazmente a uno mientras descansaba en la sombra y le apresa con su cuerpo dúctil. El elefante disimulando sabiamente que quisiera resistirse, omite todo movimiento y conato de fuerza; y aminoró el cuerpo cuanto pudo; y comprimió el globo de su ancho vientre; el cual fué envuelto con los anillos y espiras de la serpiente. El maligno enemigo apretando entonces las roscas con grande esfuerzo, trató de matarle cruelísimamente. Pero el elefante haciendo uso de su inmensa fortaleza, ensancha el cuerpo, se infla de manera maravillosa y rompe la espina de la culebra; entonces se sacude las anillas rotas; pone por fin, el pié derecho sobre la cabeza del vencido enemigo y aplasta su cerebro.

FABIANUS BILBAO

Guernicae, in Vasconia

Vulpes et Rubus (2)

Cum vulpes in saepem ascendisset et lapsa esset, cecidit, atque rubum, ut auxilio ejus et favore sisteret, prehendit. Pedes cum pungerentur spinis, de illo magnopere indoluit et rubo dixit: «Heu mihi: ad te fautorem confugi, tu vero male erga me te gessisti». Rubus ei: Misera, respondit, arripere me voluisti, qui omnes apprehendere soleo.

Haec significat fabella, simili modo, qui illorum opera uti volunt, quibus innatum est aliis injuriam inferre, stultos esse.

R. GABRIEL, C. M. P.

ex. II Lat. cursu

Villae Rosarii (in Argentina)

(1) *Perpulcrus vernaculo idiomate: A maestro, cuchillada.*

(2) *Benvolentia adducti erga eos qui tam longe absunt a nostra actuaris, ham traductam ex Hispanica in linguam Latinam compositionem quamquam sero ad nos adlatam palaestritis nostrae Palaestrae offerimus.*

ACTUARIA.

Compositiones Vertendae

El gozo de la ciencia

Los conocimientos (1) de Arquímedes no estaban circunscritos (2) a solas las Matemáticas. Habiendo cierto orfebre (3) mezclado (4) cobre con oro en una corona del rey que había de ser de oro puro, encontró el secreto (5) hasta entonces (6) desconocido y hoy día muy común de descubrir el fraude. Dícese que recibió de ello tan grande satisfac-

ción (7) que sin darse cuenta que estaba desnudo (8) salió bruscamente (9) del baño gritando: *lo hallé, lo hallé.*

Notulae

(1) *Doctrina* (sing.) – (2) *Definitus* (con ablat.) – (3) *Argentarius*. – (4) *Conflare*. – (5) *Arcanum*. – (6) *Ad id tempus*. – (7) *Voluptas*. – (8) *Nudum se esse non advertens animo*. – (9) *Subito*.

Canis Marinus ⁽¹⁾ et Balaena

Canem marinum dixere (2) voracissimum animantium cunctorum, sed libentius solere in escis helluari (3) candidis. Contra hunc balaena: (4) Quicumque, aut albi aut nigri, pisciculi praeda sunt mihi grata et optima. Ibero e litore ad (5) columnas Herculis canem explorator in alto viderat salo. Navigio vadunt vigiles, ac secum ferunt reticulum conglobatum, plenum carnibus, acutumque celans unicum, panno candido dolum tegente insidiasque: fero in gurgites (6) per funem cuncta proficiunt. Captat avide (7) hiatu vasto mortem ille suam; ferreo infixus unco ad terram trahitur et perit. Balaena ab alto rem totam prospexerat: Te tua, conclamat, perdidit voracitas.

L. ROCCI, S. J.

Notulae

(1) El pez can. (2) Dícese de antiguo. (3) Cebarse. (4) Se suple *ait*. (5) Cerca de. (6) En las aguas. (7) Lánzese con avidez.

Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.

Moderator

Typographia F. Camps Calmet. – Tarrega